



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina &
Generaliora**

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Capvt II. De dispositione exteriore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

tuum, quod ad se se accusandum tam bene dispositum est. itaque paulatim & suauiter animas eorum compellit ad perfecte peccata sua degredenda.

Quarto, si quando in eos pœnitentes incidunt, qui ob enormia, quæ admisere peccata, uti sunt, incantationes, veneficia, concubitus cum diabolo, bestialitates, homicidia sanguinaria, & aliæ huiusmodi abominationes, mirum in modum suis in conscientijs percelluntur, agitantur, & consternantur; omni modo eos relevare & consolari debetis, magnam Dei misericordiam apud eos depraedicando, utpote quæ ad ipsius signoscendum infinites maior est, quam universa mundi peccata ad illos damnandos, ope rique vestram & auxilium illis addicite, quacunque in re & quoties illa opus habebunt ad animæ suæ salutem operandam.

C A P V T II.

De dispositione exteriore.

Si quod sit Sacramentum, in cuius administratione proferenda sit ab administrante gravitas & maiestas, certè ipsum Pœnitentias summam exigit, cum in eo à parte Dei Iudices deputati & constituti simus. Hoc ergo administrabis induti & togam & superpelliceum, stolam habentes in collo, & pileum in capite, in apparenti & conspicuo Ecclesiæ loco confidentes, facie amicabili simul & graui, quam per nullos nouos gestus aut signa exteriora, quæ aliquam auersionem, indignationem aut demor-

monstrationem animi indicent, vñquam debetis inuitare, ne quam ijs qui eos videbunt, occasionem detis suspicandi, pœnitentem aliquid displicens aut execrabile vobis referre.

Dabitis operam, vt pœnitens faciem suam ita conuertat, vt vestram ad latus habeat; ita vt nec vos videat, nec vobis recta in aurem, sed ad latus illius, loquatur.

C A P V T III.

De Interrogationibus, qua pœnitenti proponenda ante, quam se accuset.

POENitens ergo vbi accesserit, ante omnia rogandus est, cuius sit status & conditionis, videlicet an coniugatus sit, necne, Ecclesiasticus, an non, Religiosus aut sacerdotalis, ad vocatus an causidicus, opifex mechanicus an operarius mercenarius; nam pro diuersitate status diuersimodè cum eo procedendum erit.

Sciendum præterea, num intentionem habeat hanc benè se & ritè de omnibus peccatis suis accusandi, nihil eorum vt studio & volenter celet; item, peccatum penitus deserendi ex animo & detestandi, denique faciendi quod sibi salutis suæ procurandæ causa iniungetur. Quod si illam intentionem & voluntatem non habeat, in hoc manendum est, & eam vt habeat, si modo fieri potest, allaborandum; si verò eam habere nolit, dimittendus est, prius illi declarato, quam periculo & misero in statu agat.